

ta sit umbra &c. aut ex principiis æstimativis deducta Propositiones *qualitative* v. g. sub quali figura, colore, situ, motu, formâ, & ex quibus causis, quævis res oculo hîc illic posito, quiescente aut moto videatur? idque vel directè & simpliciter, quæ pars κατ' ἐξοχὴν vocari solet *Optica*; vel reflexè, objectu speculorum varii generis, quæ pars appellatur *Catoptrica* & *Specularia*: vel refractè, intercedente duplici medio, rariore, densiore, variis modis figurato, quæ pars dici solet *Dioptrica* seu *Anaclastica*, vel etiam *Diaclastica*. Ubi simul de effectu lucis reflexæ vel refractæ ad combustibile quodvis accendendum, aliisque pluribus, agitur.

§. 2. *Opticæ* succenturiatur *Perspectiva*, quæ est vel *organica*, h. e. ars organa visualia parandi, quæ cum primis se exerit in Tubospecillis, Microscopiis, aliisque secundum artem conficiendis; vel *delineatoria*, h. e. ars adhibitis quibusdam instrumentis aspectabile quodvis ex ingenio delineandi: cui famulatur *Pictoria*, hoc est, ars etiam absque certis instrumentis, aut adhibitis saltem rudioribus, aspectabile quodvis ex assuefactione delineandi.

§. 3. Ex illâ, præter *Fundamentum perspective* sectionibus Pyramidum & Prismatum velut ex origine suâ deductum, quod publicis aliquando proposui lectionibus, specimen loco sit.

VIII. LUSUS noster OPTICUS, das Mahler-Spiel/ h. e. modus expeditissimus aspectabile quodvis per *aleam lusoriam* delineandi, pinnacidiorum altero fixo hinc, altero pro notandis punctis visibilibus quaqua vertum versatili inde, per ponticulum communem fixæ tabulæ applicato; mobili, pro punctis pinnacidii propioris & versatilis excipiendis, elevatâ, mox iterum pro liberâ collineatione depositâ.

CAP.